

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3811

Auteur(s) : Guillaume Bonin [particulier]

Bénéficiaire(s) : Pierre de la Broce, Langes (seigneur), Damville (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1276, juillet

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume dit Bonin notifie l'accord fait entre lui et Pierre de la Broce sur les terres qu'il tient de ce dernier à Charnelles.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 874, p. 206.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus dictus Bonin, salutem in Domino. Noveritis quod, cum ego tenerer reddere nobili viro Petro de Brocia, domino Langesii et Danville, quinque solidos turonenses annui redditus pro quinque acris terre, quas tenebam de ipso et adhuc teneo in parrochia de Charnellis, in territorio qui dicitur Boviers sitis, cum herbergamento ibidem existente, et hactenus proposuissem et intenderem benivolentiam ipsius domini mei obtinere et habere, ac etiam libertatem et quittanciam preciarum et corveiarum et aliarum redebenciarum que inferius nominantur, obtinere, ne futuris temporibus possemus ego, heredes vel successores mei, pretextu vel ratione earum molestari, tandem ego Guillelmus, propria voluntate ad hoc inductus, pro benivolentia ipsius domini mei et dictis libertatibus obtinendis, eidem et heredibus ac successoribus suis, in perpetuum, in augmentationem seu accrementum dicti redditus quinquaginta et quinque solidos turonenses annui redditus dedi et concessi, et etiam assignavi, habendos et percipiendos super dicta terra et herbergamento existenti in eadem, libere et quiete una cum aliis quinque solidis redditus antedictis, eandem terram cum herbergamento de dictis quinquaginta et quinque solidis honerando, pro exhoneratione dictarum redebenciarum, ita quod ego et heredes ac successores mei de cetero in perpetuum sexaginta solidos annui redditus pro eisdem terris et herbergamento cum libertatibus infra scriptis reddere tenemur ipsi Petro et heredibus ac successoribus suis, duobus terminis per annum, videlicet medietatem in festo Sancti Remigii, et aliam medietatem in festo Pasche annuatim, de quibus sexaginta solidis quinque solidi convertentur in summa centum et duarum librarum et dimidie, quas ceteri homines de dicta parrochia eidem et suis heredibus tenentur solvere annis singulis pro terris sibi ab eo traditis et libertatibus earumdem, pro cuius redditus augmentatione seu accremento ipse me et heredes ac successores meos quitavit, exhonera vit et libera vit penitus in perpetuum, quoad terras cum herbergamento supradictas, et easdem michi et meis successoribus concessit tenendas de ipso et heredibus suis liberas et immunes ab omnibus coutumis, precariis, corveiis, pasnagiis, reparagiis motarum et fossatorum, admenagiis merrenorum et aliorum necessariorum ad herbergamentum domini faciendum seu reparandum, exactionibus indebitis ac bienniis quibuscumque, que ratione dictarum quinque acrarum terre et herbergamenti exigi possent aut deberent, hoc tamen adjuncto quod, si ipsum aut heredes seu successores suos aliquod molendinum acquirere aut habere contigerit in posterum in loco

tam propinquo quod non distet a dicto territorio usque ad leucam et dimidiam, ego et heredes ac successores mei, vel illi qui dictas terras tenebunt, tenemur molere per bannum ad illud molendinum immediate post bladum tremeie, solvendo dimidiam moltam tantummodo, ac si essemus advenientes, nec poterimus compelli ad solvendum moltam siccam, nec aliquid ponere in fesantiis, nec in admenagio molarum seu merreni, seu in curagio beciorum ejusdem molendini, seu molere ad molendina de Danvilla, seu ad alia molendina, in loco remotiori quam superius est expressum, nec etiam aliquid solvere de precio molarum seu edificiorum molendini supradicti. Tenetur etiam dictus Petrus et heredes ac successores sui predictas terras cum herbergamento et libertatibus antedictis michi, heredibus ac successoribus meis, tanquam domini feodi, pro dicto reddito ab omnibus et contra omnes liberare, defendere et garantizare, prout jus dictabit, salvis et retentis sibi et heredibus ac successoribus suis cohercione et justicia omnimoda, tam pro dictis redditibus exigendis quam in aliis casibus quibuscumque, releviis quoque, auxiliis, forefacturis ac expletis et aliis juribus suis necnon et juribus capitalium dominorum, predictis libertatibus michi et meis heredibus ac successoribus, ut dictum est, ab eo concessis, in suo robore perpetuo duraturis. Ad hec autem omnia et singula, prout superius sunt expressa, tenenda et servanda, ego me et heredes meos et omnia bona mea, mobilia et immobilia, presencia et futura, in suo feodo in quibuscumque existencia, eidem domino meo et heredibus ac successoribus suis obligo specialiter et expresse. Et ut hec rata permaneant in futurum, presentes litteras sigillo meo sigillavi, in hujus rei testimonium et munimen. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, mense julio.